



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quae sit maxima scientia, & optima sapientia hominis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

CAPVT XXVII.

ARGVMENTA.

1. *Qua sit maxima scientia, & optima sapientia hominis.*
2. *Quomodo rectè cognoscitur Christus.*
3. *Quatenus cognitio Christi non est trahenda ad carnem.*

Q

Postolus 1. Cor. 2. inquit: Nihil iudicaui me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, quem denunciaui vobis non in sublimitate sermonis aut sapientiae, sed in simplicitate spiritus, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Multi gloriantur de sapientia mundana, sicuti Philippus de rebus naturalibus, stellarum cursibus, disciplinis liberalibus, & Rhetoricis coloribus, sed quando nulla harum scientiarum humanarum saluat coram Deo aeternaliter animam, sequitur inde quod illa optima & maxima sapientia esse nequit. Nam talis sapientia stultitia coram Deo est, sicut scriptum est Esa. 19. Perdam sapientiam sapientum. Abdic. 1. Vbi sapiens, vbi scriba, vbi inquisitor huius seculi? Loquitur de illis, qui Dominum non glorificauerunt suis scientijs, sed euauerunt in suis cogitationibus: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, Rom. 1. Sapientia igitur sapientiarum est, cognoscere Christum, sicut propheta Hierem. dicit 9. cap. Nemo gloriatur in sua sapientia &c. Scire & agnoscere Christum, est scire hoc secretum Dei, quod Deus vult propter Christum condonare peccata, & donare salutem aeternam poenitentibus & credentibus: & quod ipsius opera, non nostra, nos iustificat & saluant, si crediderimus. Hanc sapientiam nemo huius seculi principum agnouit. 1. Corinth. 2. nobis

1.

1. Cor. 1.

G 5

autem

autem reuelauit, inquit Apostolus, per Spiritum suum Deus. Et hæc scientia etiam fuit Dauidi reuelata, Psal. 50. Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Matth. 11. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, &c. Hæc igitur sola scientia est ad salutem necessaria, quæ vel sola sine alijs sufficit, & sine qua aliæ nihil proderunt.

2.

Christus sic verè & rectè agnoscitur, si enim agnoscis & acceptas pro tua iustitia, pro tua sanctificatione, & pro tua redemptione, si ex corde credis, quòd ideò tibi sit datus à Deo Christus, sicut Apostolus dixit, quòd donatus sit nobis Christus à Deo ad quatuor, vt sit nostra sapientia cōtra doctos philosophos nostra iustitia contra Iudeos, qui propriam statuunt, nostra sanctificatio, ne quis præsumat se natura propria sanctū: nostra redēptio, ne quis gloriatur de operibus suis, vt semetipsum saluare possit, & mereri cælum. In hos fines si Christus agnoscitur & creditur, tunc scitur: & hoc est summum scire christiani hominis, atque hæc Fides facit christianum. Primò Christi est nostra sapientia coram patre, qui sumus vt oves errātes, Esa. 53. & 1. Cor. 1. inquit Apostolus, quoniam mundus per sapientiā Deum non cognouit, id est, oēs philosophi, Deū non glorificauerūt & laudauerunt rectè sua sapientia, placuit Deo, per stultū sermonē saluos facere credentes, nempe q̄ Christus crucifixus, est virtus Dei ad saluandū. Ad hoc credendū, Iudei petūt signa de cælo: Græci hoc cupiūt pbatum per humanā philosophiam: at nōs simplicissima fide credimus verbo, Mortuus est pro peccatis nostris, & credimus huic diuinę sapientię, q̄ tali via Deus vult per Christū saluos facere credētes: Etsi nos in nostra persona nō sumus sapientes corā Deo, in Christo tamen sumus sapientiores omnibus philosophis & doctoribus mundi In Christo reconditus est thesaurus

1. Cor. 1:

Rom. 10.

I.

Rom. 4.

II.

sapientię Dei. Deindè Christus ex nostra iustitia corā Deo: